



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

De Morte Christi Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI. A. C. 1527. *formaliter per se non consenserint. Declararunt idem nonnulli summi Pontifices, tanquam contra Hæreticos procedi oportere adversus eos, qui cum parvuli essent, baptizati sunt; ubi autem doli facti sunt capaces, ad ritus se converterunt Judeorum.*

De morte Christi Domini.

Sequens propositio concernit mortem Christi, de qua Erasmus hæc dixisse dicitur: *Jesus suam mortem non Lugubrem, sed gloriosam esse voluit, sed adorari, ut quæ sponte pro salute totius mundi suscipiebatur.*

Hæc Propositio hoc modo notatur: *Etsi pretiosa est mors Christi, & gloriosa ut quæ mortem & mortis destruxit autorem, non continuo non est & ipsa Lugubris & fidelibus deflenda, pro quorum salute exhibita sponte est. Nam cum per regium Prophetam Christus conqueratur dicens: Sustinui, qui simul contristaretur & non fuit, qui consolaretur, & non inveni. Et per Zachariam prædictum sit: Dolebunt super eum sicut doleri solet in morte Primogeniti, pice quoque Matris suæ animam in filii passione doloris gladius juxta Vaticinium Simeonis pertransierit, planum est, quod Christus suam Passionem & mortem minime vetuerit defleri, sed cum illa peccata voluit lugeri, propter quæ expianda moriebatur*

Pf. 68. v. 21. Zachar. c. 12. v. 10.

tan-

tanquam caussam tanti doloris, quandoquidem Sæcul. XVI.
A.C. 1527.
attritus est, ut scribit Isaias propter scelera nostra & livore ejus sanati sumus.

Proinde cum hæc propositio Catholicorum Doctorum Sententiæ, universalis Ecclesiæ ritui, quo singulis quibusque sextis feriis in memoriam Dominicæ Passionis, a carnibus abstinetur, nec non & rectæ sacræ Scripturæ intelligentiæ adversetur, temeraria est, impia, & Hæretica.

Cum vero Erasmus hanc quoque propositionem addidisset: *Si Christus suam mortem vulgari more lugeri voluit, cur bajulans crucem reprehendit filias Hierusalem?*

Ideo Theologi hanc censuram subjiciunt: *Noluit se Christus a filiabus Hierusalem deseri, ut infirmum aut non potentem se ab illatis malis defendere, quem admodum illæ erant desendæ ob imminens Hierosolimitanæ civitatis excidium: neque tamen eam ob rem id fieri prohibuit, quod natura suggerit, ratio suadet, sacra eloquia comprobant, Christianos videlicet Christi membra Christo capiti suo conformari, eidemque patienti & dolenti compati & condolere, quemadmodum suo generali ritu Ecclesia observat. Hac autem interrogatione oppositum innuens hic Scriptor, neque Scripturam, quam assumit intelligens, manifeste aberrat.*